



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quæ communia & æqualia habuerunt angeli. C

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

etiam minus perspicaces conditi sunt, minora gratie dona habuerunt, inferioresque constituti sunt, sapientia Dei equo moderamine cuncta ordinantis. In ipsa facultate arbitrii differentia animaduertenda est secundum differentem naturam virtutem & differentem cognitionis & intelligentiam vim. Et sicut differens vigor & subtilitas nature infirmitatem non adducit, minorum cognitio sapientie ignorantiam non ingerit: sic libertas inferior nullam arbitrio necessitatis voluntatem imponit.

Sap. II. 6

*Que communia & equalia habuerunt angeli.* C

Et sicut in predictis angeli differebant: ita & quaedam communia & equalia habebant, quod spiritus erant, quod indissolubiles, & immortales erant, commune omnibus & equaliter erat. In subtilitate vero essentie, & intelligentia sapientie, & libertate voluntatis differentes erant. Has distinctiones intelligibiles inuisibilium naturarum ille solus comprehendere potuit & ponderare, qui cuncta fecit in pondere, numero, & mensura.

*An boni vel mali, iusti vel iniusti, creati sint angeli, & an aliqua mora fuerit inter creationem & lapsum.* D

Illud quoque inuestigatione dignum videtur, quod etiam a pluribus queri solet, utrum boni vel mali iusti vel iniusti creati sint angeli: & in aliqua mora fuerit inter creationem & lapsum: vel sine mora in ipso creationis exordio ceciderunt.

*Opinio quorundam dicentium angelos in malitia creatos, & sine omni mora ruisse.* E

Putauerunt enim quidam angelos, qui ceciderunt, creatos esse malos, & non libero arbitrio in malitiam declinasse: sed etiam in malitia a Deo factos esse, nec aliquam fuisse moram inter creationem & lapsum, sed ab initio apostatasse: alios vero creatos fuisse plene beatos. Qui opinionem suam mutant auctoritate Aug. super Genes. ita dicentis.

Lib. II. c. 103  
ad princip.

Nos